

de nomine; sive enim dixeris, esse simplicis intelligentie, sive visionis, perinde est, modò non dixeris independentem a decreto Dei actuali, qualem mediam fingunt Molinistæ.

Petes, in Deo certò cognoscat omnia omnino futura conditionata.

R. Quantum ad futura conditionata in Scripturis revelata, constat ex dictis, Deum illa certò cognoscere. Quantum ad alia non revelata, sed quæ expectant gubernationem hujus mundi, & habent ordinem ad ea, quæ de facto futura sunt, ut hæc, v. gr. Si Petrus non introvisset Prætorium, non peccasset; si Judas non habuisset oculos, Christum non tradidisset: aut etiam hæc disparata; si Petrus curat, Joannes sedebit; si capra saltet, arbor florebit; censent communiter Theologi, ea etiam à Deo certò sciri; quia, cum Providentia ejus sit perfectissima, debet prospicere, quæ aliquo modo conducunt ad ejus perfectionem, & habent connexionem, vel ordinem cum his, quæ provisæ sunt. Adde, quòd hoc ipso quo supponuntur aliquo modo futura, sint à Deo decreta; nihil enim est futurum etiam conditionatè in sententia nostra nisi per decretum: in decreto autem ea certò cognoscit.

Restat ergò difficultas de futuris conditionatis secundum combinationes possibles in altero rerum ordine, v. gr. si in mundo possibilis animal esuriret, hoc cibo uteretur. Si in alio mundo arbor floresceret, tot fructus proferret. Verùm, nostro saltem judicio, non deberet proponi quæstio de futuris conditionatis secundum combinationes possibles, sed de ipsis combinationibus possibilibus; quia, ut jam observavi, hoc ipso quo supponuntur futura, supponuntur decreta, & in decreto cognoscit. Undè potius deberet quæri, an Deus decerneret omnes combinationes possibles in altero rerum ordine? quod spectat materiam de decretis. Quidam negant, existimantes sufficere Deum statuisse nihil de illis determinare, sed sub sola possibilitate concludere; utramque contingentie partem æstimas probabilem. Ità Joannes a S. Thom. disp. 20. de scientia Dei art. 2. in sol. 2. arg. Alii putant, Deum de singulis combinationibus possibilibus determinasse, quia alloquuntur voluntas Dei maneret suspensa, scientia ejus, quæ a suo decreto pendet, non foret satis plena. Ità Ant. Goudin Tract. 2. de voluntate Dei, quæst. 2. art. 1. Concl. 3. de quo fortè suo loco.

ARTICULUS VI.

De Scientia media.

§. I. Status quæstionis exponitur.

Nota 1. Articulo præcedenti diximus ex communi Theologorum sensu, Deum certò cognoscere futura conditionata libera. Superest quæstio, eaque in Scholis inter omnes celeberrima, in quo medio Deus ea cognoscat. Thomistæ consentaneè ad sua principia, ea dicunt à Deo cognosci in suo decreto subjective absolute, & objective conditionato, quod sic exprimitur. Volo quòd fiat, si talis conditio ponatur: v. gr. volo quòd Tyrus convertatur, si prædicetur ipsis Evangelium. Sicut enim nullum est futurum absolutum, nisi ex decreto Dei simpliciter absolute, ità nec ullum futurum conditionatum nisi ex decreto Dei objective conditionato; & sicut futura absoluta Deus cognoscit, ità & futura conditionata in suo decreto conditionato: dari autem hujusmodi decreta ex parte objecti conditionato, & ex parte subjecti absolute, nunc supponimus, & infra probabimus.

Id Patres Societatis tanquam monstrum horrendum, ingens libertatis eversivum, & sanctitati divine injuriosum abhorrent. At si urgeas, ut assignent aliud medium, vix, cui credas, resperies; ità inter se digladiantur, aliis pro supercomprehensione causarum secundarum, aliis pro decreto futuro, aliis pro voluntate creata sibi reiecta, aliis pro veritate formali, aliis pro objectiva contententibus: ità ut verificetur, quòd notavit noster Gonet ex S. Thom. lect. 4. in cap. 4. Dionysii de div. nom. Quòd illi, qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia; sed illi qui ignorant, dividuntur per varios errores. Intellige opiniones minus veras; nec enim adversariorum opiniones volumus censura notare.

In hoc ergo Patres Societatis a temporibus Ludovici Molinae unanimiter conveniunt, Deum non cognoscere futura conditionata libera in aliquo decreto absolute actuali, sed ante illud; eamque scientiam inde vocant mediam, vel quia, ut ipsi dicunt, mediat inter scientiam simplicis intelligentie, & visionis, ac de utraque participat; est enim necessaria ex parte Dei, cum præcedat ejus decretum, sicut scientia simplicis intelligentie; est libera ex parte objecti, quia est circa futura contingentia, ut scientia visionis. Vel quia fertur in futura conditionata, que medium locum tenent inter merè possibilis, & futura absolute; vel tandem, si superis placet, quia est me-

dium divinitus inventum ad profigandas hæreses Lutheranorum, & Calvinistarum, ut quidam jactant.

Nota 2. Est ergo Scientia media, juxta suos assertores, cognitio, qua Deus ante decretum actuale determinans futuritionem conditionatam actuum liberorum, explorat, & certò prævidet, quid voluntas creata ex innata libertate ageret, si poneretur in talibus vel talibus circumstantiis cum oblato auxilio indifferenti, an illi consentiret, & benè ageret? an illi dissentiret, & malè ageret? quo prævisto, si velit cum consentire, & benè agere, decernit illam in talibus circumstantiis ponere, in quibus prævidit consenturam, & offerre illi concursum indifferenter; sin minus, decernit in aliis circumstantiis ponere, & in tali decreto absolute inquirit, Deus certò cognoscit consensum absolute futurum; sed ista certitudo, ut patet, non provenit ex ipsa efficacia decreti, sed ex ipsa prævia scientia conditionata.

Dixi: Ante decretum actuale determinans futuritionem conditionatorum: quia isti Theologi non refugunt admittere decretum generale in Deo concurrendi cum causis liberis, si velit aut quando voluerit se determinare ad agendum: non enim, inquit, Deus prævidet consensum futurum posita conditione, nisi mediante concursu. Quamvis autem superius dixerimus, futurum conditionatum esse illud, cujus conditio non esset adimplenda; hæc tamen scientia media secundum mentem suorum auctorum abstrahit ab hoc, quòd purificetur vel non purificetur conditio; siquidem, juxta illos, Deus per eam debeat dirigi in formandis suis decretis absolutis, quæ sunt de futuris, quorum conditio est purificanda.

Nota 3. De ortu, & origine Scientie medie iterum inter se litigant ejus Patroni. Quidam volunt, esse felicem, nec satis laudandum Molinæ factum, eò usquè in Scholis inauditum. Alii cautiores, ne ipsa novitate improberetur, contendunt eam esse perantiquam, & ex ipsis Patribus haustam: ità modernè cum Suarez. Quòd verò spectat rei veritatem, dicimus nec esse Molinæ factum, nec ex Patribus haustam, sed ex ipsis semel Pelagianis, ut constat ex literis Prosperi, & Hilarii ad Aug. quorum plura fragmenta referemus infra, & maxime ex illo principio Fausti Regiensis semi-Pelagianorum ductis: Nisi præscientia exploravit, prædestinatio nihil decernit: quòd astruit l. 2. de nat. & lib. arbit. c. 3. & alibi continud repetit.

Nota 4. Abutebantur autem semi-Pelagianis scientia media, quatenus dicebant Deum per eam præscire in voluntate humana id, undè moveretur ad conferendam his potius, quam illis gratiam; existimabant enim, Deum non posse absquè injusta personarum acceptione uni præ altero gratiam decernere, nisi esset aliquid saltem initium fidei ex parte voluntatis humane, quo ad id moveretur: an autem istud initium fidei reponerent in natura nuda, an in natura aliquo auxilio interiori adjuva, non disputo modo: de hoc alibi. Et cum arguerentur exemplo parvulorum, qui immatura morte rapiuntur, quorum his gratia baptismi conferitur, non illis; dicebant, Deum præscisse, quid boni vel mali acturi fuissent, si ad adultam ætatem pervenissent, & inde pariter moveri, ut his potius, quam illis baptismi gratiam conferret. Hunc porò usum, seu potius abusum scientie medie, rejiciunt moderni ejus assertores; non enim volunt præscientiam boni operis, conditionatè prævisi esse Deo causam motivam, cur his potius, quam illis conferat gratiam, ut patet, inquit, in Tyrinis, & Sidonis, quos Deus prævidit convertendos, si eis prædicaretur Evangelium, & tamen noluit prædicari.

Verùm in hoc cum semi-Pelagianis conveniunt, quòd eam admittant ad conciliandam humanam libertatem cum infallibilitate divinorum decretorum; cum enim non secus ac semi-Pelagianis existimant, perimi libertatem humanam, si Deus infallibiliter prædefiniret voluntates nostras, & tamen negari non possit, quin Deus sua æterna, & infallibili providentia disponat omnia, etiam actus nostros liberos; dicunt, Deum, priusquam quidquam absolute decerneret, prævidisse, quid voluntas creata in his vel illis circumstantiis posita boni vel mali ageret ex innata libertate sub oblato concursu indifferenti, quo prævisio absolute, & infallibiliter decernit, qui benè, qui malè sint acturi; quia eos, quos vult benè agere, ponit in his circumstantiis, in quibus prævidet ex innata libertate benè acturos; sin minus, in aliis; siquid de omnibus infallibiliter disponit, proit vult absquè præjudicio libertatis. Scientiam mediam hoc sensu explicatam, a Molina suscitant, Societas Jesu fecit suam ab anno 1598. quo nostri cum semi-Pelagianis accusantur in famosis Congregationibus de Auxiliis coram Clem. VIII. & postè coram Paulo V.

Nota 5. Extra scholas Societatis pauci sunt, qui hæc scientiam mediam defendunt. Inter hos paucos novissimè prodit Honor. Tournely Doct. Parisiensis, qui in suis prælectionibus de Deo quæst. 16. art. 5. primum se exhibet quasi nulli parti addictum, Nos, inquit, deposito omni partium studio, rem

in utramque partem versabimur; utrumque systema oculis sub-jiciemus, quid unumquodque ferat, quid habeat difficile, quid obijci, quid responderi ex utraque parte solum sit, paucis ac summariè attingemus. Ità fiet, ut eorum declinemus vitium, qui, cum unam præ alia opinionem defendendam sibi sumunt, oppositum ita depriment: ac plerumquè deformant, ut vix a suis defensoribus agnoscat.

Quibus ad hæc non certò crederet, Tournely, juxta fidem datam, deposito revera partium studio, utrumque & Molinistarum, & Thomistarum systema pro suis quodque momentis ex æquo, & bono expositurum? At quàm longè a vero! Nihil non tentat novus miles, ut postrata Schola Thomistica, Molinistice trophaeum erigat. Si ipsi credere fas sit; momenta Molinistarum contra Thomistas sunt numero, & pondere gravissima: e contra argumenta Thomistarum contra Molinistas oriuntur plerumquè, aut ex præjudiciis præoccupatae mentis, aut ex ignorantia systematis scientie medie: sibi monstra fingunt hostes scientie medie, ut ea facilius debelleat: vana, & gratis conficta sunt contra scientiam mediam argumenta ab incommodis: Hæc apud imperitiam plebem ad fucum, & invidiam venditari ac valere possunt, non apud cordatos Theologos. Objectiones adversus scientiam mediam sunt malignæ, ineptæ. Modus conciliandi libertatem cum divinis decretis, & gratia, quem adhibet Thomistæ, est implicatus, obscurus, vagus, indeterminatus, nihil afferens lucis menti nostræ, imò rem magis implicat, & obscurat; nec idoneus videtur, imò magis noxius explicanda concordie libertatis cum gratia. Falsi redarguitur, ac plene confutatur historia de Auxiliis Patris Serry per alteram amplissimam Historiam Patris Meyer. Nosce ex ungue leonem. Insuper solidiora Scholæ nostræ principia cautè dissimulat; ea verò, que refert, attenuat, labefactat. Responsiones Molinistarum habet quæ de Tripode oracula, Responsiones Thomistarum ut jejuna, & frigidas exsufflat. Palpat ubiquè Molinistas, laudat, approbat. Arguit ubiquè Thomistas, contemnit, improbat, & quòd summe calliditates est, Molinistas ultimo loquentes ferè semper inducit, ut, obmutesceribus Thomistis, victores appareant. Sic fidem liberat Tournely. Sic deposito omni partium studio, rem in utramque partem versat.

Quòd ergo iste nuperus Scriptor contra communem, & antiquum Scholæ sensum ad Molinianos defecerit, non querimus, ut jam dixit quidam ex nostris; cuique enim liberum est opinionem nonnullam ad Ecclesia damnatas tueri. Sed quòd in hac parte minus sincerè, quam par sit, procedere videatur, quòd Molinista medullitè fingat se nulli parti addictum, fortè ut eo titulo jus sibi putet acquisitum quodlibet impunè audendi pro Schola Molinistica contra Thomisticam, & ea arte subdola majorem suis ausibus auctoritatem conciliet, nec ferè, nec ferè potest cordatus Thomista. Nemo igitur mihi jure succenseat, si hunc Theologum, seu purum Molinistam pro viribus aggrediar, & quæcumque nomine Molinistarum profert, tanquam ejus propria insequar.

§. II. Aberrationes, & dissimulationes Honorati Tournely circa notionem Scientie medie breviter corriguntur.

Scientiam mediam definit cum cæteris Tournely: Scientia conditionatorum, independentè ab omni decreto absolute, & efficaci, eoque anterior. Art. 5. §. Quid sit Scientia media. Sed hæc communem Scientie medie notionem tost pigmentis illinit, ut æquivocis involvit, tot exceptionibus restringit, ut vix eam agnoscat. Crederes, ipsum erubescere causam hæc aperta fronte tueri.

I. Vult itaque Doct. Molinianus, a systemate Scientie medie removenda esse sequentia. 1. Quòd gratia per liberum arbitrium preveniatur. 2. Quòd sit aliquid tribuendum voluntati ex solis viribus nature, quo se discernat. 3. Quòd gratia præveniens moveat tantum moralitèr, & objective voluntatem, & non effectivè per physicum influxum. 4. Quòd opus bonum sit partim a libero arbitrio, & partim a gratia. 5. Quòd liberum arbitrium prius natura operetur, quam gratia cooperetur. Hæc, inquit, exclusis, & rejectis, & non alterè, Scientiam mediam defendi, & propagari, non revicimus. Hoc est, non tenuit defendi chimæram, quam sibi finxit. Quæst. 16. de Scientia Dei Art. 5. §. Opiniones Scholæ num. 4.

Ignit quantum ad 1. In systemate Scientie medie gratia prevenit liberum arbitrium quoad oblationem, sed prevenitur a libero arbitrio quoad causallitatem: etenim juxta definitionem Scientie medie, datam a Tournely, Deus antequam velit de facto hominem consentire gratiæ, videt ipsum ex innata libertate consensurum: ergo Dei voluntas, seu ejus gratia non est causa cur homo consentiat, sed hominis consensus est causa cur gratia coagat, seu concurret. Et hinc ad 2. sequitur, quòd consensus voluntatis à Deo prævisus sit tribuendus solis viribus nature, & eo se discernat voluntas humana, ut dicam Theol. Billuart. Pars Prima.

infra: concursus enim oblatus, quòd benè advertas, non est, ut via sua certo efficacitèr determinet voluntatem ad consensum, sed ut positò consensu concurret cum voluntate ad effectum; undè, licet effectus sit à Deo concurrentè partialitèr, ipse tamèn voluntatis consensus non est à Deo, sed a natura.

Quantum ad 3. mera est æquivocatio ad declinandam invdiam hujus Sententie. Auxilium gratie preveniens in systemate Scientie medie movet physicè ad actus indeliberatos illustrationis mentis, & excitationis voluntatis ad bonum; sed quantum ad consensum deliberatum voluntatis divine motioni, seu excitationi obsequenti movet tantum moralitèr. Ità in terminis ipse Tournely Tract. de grat. q. 9. art. 1. quòd prudenter hic dissimulavit ad faciendum fucum. Quantum ad 4. altera est æquivocatio. In systemate Scientie medie bonum opus partim est a libero arbitrio, partim a gratia, non partialitèr effectus, sed partialitèr causa; sicut tractio passiva navis partim est a duobus equis partialitèr trahentibus, non partialitèr effectus, sed partialitèr causa. Ità Molina ipse, ita communitèr Molinistæ, & novissimè Lavinus Meyer vehementissimè Scientie medie defensor tota Diss. 1. de mente Conc. Trid. Ad 5. ex dictis patet, liberum arbitrium prius natura operari, quam gratia cooperetur: quia gratia non cooperatur, nisi liberum arbitrium sese prius natura determinaverit.

II. Ibid. agnoscit, Lessium fateri, gratiam posse dici efficacem in actu secundo ex consensu ipso voluntatis. Verùm, inquit, quia gratia in opere bono supernaturali præcipuas ac nobiliores partes agit, nostro quidem judicio longè aptius & ad vim gratie commendandam dignius, simpliciter & absolute dici debet liberum arbitrium non reddere gratiam efficacem in actu secundo. Dicit ergo, a quo reddatur efficax in actu secundo, non a se, non vi intrinseca, id enim abhorret Tournely cum Molinistis: ergo ab alio. A quo verò alio, nisi ab ipso consensu voluntatis? Et hoc ipsum, quòd hic negat iste Doct. & paràm alibi docet. Etenim Tract. de grat. quæst. 9. art. 2. num. 3. postquam exposuit varios modos congruitatis gratie, loquens de congruitate, qualem sustinent communitèr Patres Societatis, dicit: Si verò externa dimissæ est illa gratie congruitas, ac supponit usum scientie medie, gratia non videtur esse sese efficacem, sed ex ipso voluntatis consensu, saltem ut dictum est, in actu secundo; nec distat illa opinio ab ea, quam Molina tuetur. Dixerat autem prius, Moliniam docere gratiam esse efficacem in actu secundo ex consensu, seu cooperatione voluntatis. Vides, quomodo ludat, & illudat suis lectoribus Tournely, unum & idem modo negans, modo affirmans, prout suis rebus congruit. An ex industria? non judico.

III. Ibid. contendit, esse confictum ad invidiam hoc, quòd dicitur, in systemate Scientie medie gratiam esse versatilem, & subditam libero arbitrio. Per gratiam versatilem, & subditam libero arbitrio intelligimus concursum divinum indifferenter, & indeterminatum, flexibilem in utramque partem per liberum arbitrium. Talis verò concursus est essentialis Scientie medie, per quam nempe Deus explorat, quid voluntas creata sub concursu indifferenti oblato ex innata libertate ageret? an bonum, an malum? paratus concurrere ad quòd voluerit se determinare; & ex vox est communis defensorum hujus systematis; Dico, inquit P. Annatus disp. 4. cap. 3. §. 2. num. 58. Postulare causas liberas, si Deus velit earum se libertati accomodare, ut illis exhibeat concursum indifferenter, & non determinatum, quasi dicit: volo concurrere ad alterutrum ex oppositis actibus, vel volo ità concurrere, ut libertatis talis causa tribuatur, cur sit actus potius, quam non actus. Imò sunt, qui, quòd confictum ad invidiam dicit Tournely, terminis formalissimis exprimunt. Patendum est, inquit Lessius Tract. Apolog. de grat. cap. 4. num. 16. apud Serry Schol. Thom. Vind. animadv. 37. Deum certissimè præscire, ad quam actionem voluntas creata se sit determinatur, & quem concursum habitura ex hypothesi illa generali, SI CONCURSUM MEUM IN EJUS POTESTATE POSUERO. Et cap. 18. num. 1. Ut auxilium dicatur habere efficaciam in actu secundo, expectat consensum voluntatis, cujus USUI SUBDITUR, ità ut hæc efficacia ab usu voluntatis quodam modo pendeat. P. Christophorus Orthega controver. 3. de decreto disp. 2. quæst. 4. certam. 3. apud eundem, sic inducit Deum fortiter decretum: Decerni concurrere ad actionem etiam prævam, vel ejus oppositam, vel non concurrere ad illam pro libito voluntatis creata; id est, meam illi omnipotentiam ad concurrendum, vel non concurrendum extrinsecis præparò, SUBDITUM, ut ea utatur creata voluntas, non secus atque habitibus infusis, quos ad actus supernaturalis ipsi inherentes immittit. Et certam. 4. num. 6. Deus decreto suo actionem omnipotentie sue applicat, ac SUBDIT ARBITRIO voluntatis creata. Et cum ea sibi applicata atque arbitrio suo SUBDITA activitate omnipotentie utitur. Et num. 7. Deus omnipotentie sua activitatem creatæ voluntatis arbitrio, ac libere DETER-

MINATIONI SUBDIT. Quas assertiones proscripsit Innocent. XI. 23. Novembris.

IV. Ibid. §. Quintum momentum dicit, nihil esse falsius, nihil a recta philosophandi ratione magis alienum, nihil tandem absurdius, quam dicere, quod in systemate Scientiæ mediæ voluntas determinet gratiam, cum ipsa sit determinatio quædam. Hæc oburganti respondeant illi, quos numero præcedenti citavimus. Respondeant, quotquot admittunt concursum indifferenter; si enim indifferens est, indiget determinari, hunc autem admittunt omnes defensores Scientiæ mediæ. Ex abundantia adiatur iterum Annatus ibid. num. 60. inducens Deum sic formantem sibi objectum Scientiæ mediæ. Si velim indeterminate, seu indifferenter concurrere cum voluntate ad actum, aut non actum, in his circumstantiis, continget pro ejus libertate concurrere determinate ad actum. Unde num. 68. Si quis infirmiter, in illo Dei, & creaturæ ad unum effectum concursus... Deum non esse causam, cur unum præ alio fiat, sed hoc potius esse tributum creaturæ voluntati, non resistemus. Adiatur item Platelinus, novissimus Scriptor Societ. cap. 4. de voluntate Dei §. 2. num. 166. Hoc decretum, inquit, de exhibendo causis secundis concursu in actu primo... Dei potentiam ad utrumlibet indifferenter exhibet causæ liberæ, si relinquendo plenam potestatem, seipsam, & Dei potentiam jam sibi addictam, in actu secundo ad utramvis partem contrarietatis, aut contradictionis pro libitu DETERMINANDI. Quid ergo nobis occentat novus Molinista? Ast, inquit, ipsa gratia est determinatio quædam. Itaque quidem gratia præveniens est determinatio quædam, quatenus excitat moraliter voluntatem determinatè ad bonum; at id non obstat, quin Deus in systemate Scientiæ mediæ se exhibeat paratum concurrere ad quodlibet voluntas se determinaverit, & hoc indiget a voluntate determinari. Insupèr gratia præveniens determinat voluntatem, inquit ipse Tournely sicut habitus, v. gr. charitatis. Quis autem nescit habitum charitatis inclinare quidem habitualiter voluntatem ad suum objectum, sed debere ab ea determinari, ut hic, & nunc cum ea concurrat ad actum amoris?

V. Ibid. dicit, in systemate Scientiæ mediæ fictitiam videri hypothèsin, in qua collata duobus æquali gratia unus consentit, non alter. Hanc tamén hypothèsin admittit Molina in concord. quæst. 14. art. 13. disp. 11. §. Ex dictis. Et quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membr. 11. §. Denique. Hanc admittunt Suarez, Bellarminus, liber Societatis, de ratione studiorum apud Lemosium Tom. 1. Tract. 6. cap. 23. Hanc ipse Tournely non negavit paulo ante §. Primum momentum. Et quidem si gratia non sit ex se efficax, sed ab extrinseco, ex quo capite implicaret hæc hypothèsis? ast subodoror effugium, quod paulo post insinuat: In systemate Scientiæ mediæ, inquit, ille, qui consentit, majorem semper a Deo obtinet gratiam in ratione doni, etsi forte non sit major in ratione auxilii, idcirco enim consentit, quia eam ipsi Deus ex pura misericordia gratiam selegit, cui prævidit eum consenturum si daretur, quod de altero, qui non consentit, dici non potest. Bene: ergo saltem non est fictitia hypothèsis æqualitatis gratiæ in ratione auxilii, & virtutis moventis in duobus, quorum unus convertitur, alter non. Quod nobis sufficit. Insupèr, dum Deus per scientiam mediæ videt hunc consenturum gratiæ, cui alter prævidetur non consenturus, est ex tunc ex omni parte æqualis gratia; non enim tunc adhuc agit de gratia in ratione doni, sed id fit solum in signo sequenti per decretum absolutum: ergo videt Deus sub æquali omnino gratia unum consenturum, alterum non consenturum: ergo non est fictitia hæc hypothèsis in systemate Scientiæ mediæ. Tandem attende dictorum coherentiam: cum arguit contra nos ab increpatione Judæorum præ Tyriss, supponit omnino æqualem utrimque gratiam; alioquin, inquit, injusta foret increpatione: dum verò contra ipsum arguimus ex illa hypothèsi æqualis gratiæ, fictitia est hypothèsis: expeditam sanè methodum se difficultatibus extricandi! Alias Tournely fictiones, & dissimulationes proit occurrent, corrigemus. His igitur in antecessum præmissis, Scientiam mediæ omni genere argumentorum aggredimur.

§. III. Impugnatur Scientia mediæ auctoritate Scripturæ.

Apostolus 1. Cor. 4. dicit: Ne supra quàm scriptum est unus adversus alterum inflatur præ alio. Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? Ex quo sic arguuntur. Juxta Apostolum discretio unius ab alio repeti debet non ex parte voluntatis humanæ, sed ex parte Dei unum ab alio per suam gratiam discernentis; atqui Scientia mediæ supponit unum præ alio, puta Petrum a Juda se discernere ex propria voluntate: ergo. Prob. Min. Supponatur, Petrum, & Judam in æqualibus circumstantiis æquali gratia præveniri, Deus videt Petrum consentientem illi gratiæ, & inde se dis-

cernere a Juda non consentiente; non ratione gratiæ, utriusque enim est æqualis, & indifferenter oblata: ergo ratione determinationis propriæ voluntatis ad acceptandam gratiam.

Constat. Quod Petrus præ Juda in æqualibus circumstantiis consentiat gratiæ, hoc habet vel a Deo donante hunc consensum, vel ex propria voluntate: si consensum habet a Deo donante, ergo antequàm Deus decernat quod velit hunc consensum dare, non est futurus iste consensum, nec illum ut futurum Deus videre potest, sicque perit scientia mediæ. Si autem Petrus hunc consensum habeat ex propria voluntate; ergo habet quod non accepit, & eo seipsum a Juda discernit contra Apostolum.

In omne latius se vertunt Molinistæ, ut ab hoc argumento se expediant. Respondet 1. Tournely. Tametsi æqualis supponatur gratia, qui huic consentit, non propterea debet dici scipsum ab alio discernere, quia non sine gratia consentit, sine qua bene agere non potuisset. Atqui discretio causæ nobiliori, & principali adscribi semper debet.

Contra 1. instauratur ratio jam data. Quod est æquale in duobus, non discernit unum ab alio; id per se patet. In casu verò argumenti supponitur gratia æqualis in Petro consentiente, & Juda non consentiente; proprium verò Petri est, quod consentiat gratiæ: ergo Petrus a Juda discernitur non per gratiam æqualem, sed per id, quod ex seipso adjicit, scilicet consensum, & usum gratiæ. Sic v. gr. Si Rex Petro, & Juda æqualia arma præbeat, & Petrus utendo suis vincat, Judas verò nolendo uti vincatur; quamvis Petrus sine armis non vicisset, non dicitur tamén omnia accepisse a Rege, neque dono Regis a Juda victo discerni, sed virtutis propriæ conatu. Itaque in nostro casu.

Contra 2. Si ob id solum Petrus dicitur discerni per gratiam, & ab ea accipere omnia, quia sine ea partialiter concurrente non operatur, pari jure dici potest gratiam discerni per Petrum, & ab eo accipere, quia & ipsa sine Petro partialiter concurrente non operatur; sicque paria erunt jura Petri, & gratiæ, & ut ille per gratiam, sic illa per Petrum discernetur, & accipiet, quod est contra Apostolum.

Quod addit Tournely, discretionem esse adscribendam causæ nobiliori, & principali: in primis nego in systemate scientiæ mediæ gratiam esse causam principalem, quasi voluntas sit ejus instrumentum, sed & gratiam, & voluntatem creatam esse duas causas paritales, ut dictum est; in causis autem paritalibus, quarum qualibet confert de suo, unicuique sive nobiliori, sive minis nobili, sive plus, sive minus conferenti, manet sua laus pro quantitate causalitatis, & influxus in effectum. Dato, discretionem adscribendam esse causæ nobiliori, & principaliori, utique nobiliori, & principaliori non ratione dignitatis tantum, sed ratione causalitatis, & influxus, inde sequeretur, quod voluntas potius discerneret gratiam, quam gratia voluntatem: cum enim in eo systemate voluntas determinet gratiam, & non gratia voluntatem, discretio autem fiat maxime per determinationem, consequenter non gratia discernit agentem a non agente, sed potius homo ex propriis consentiens discernit gratiam suam a gratia non consentientis, efficiendo ut in se sit fructuosa, quæ in alio manet sterilis.

Respondet 2. Jesuitæ Dnaeceni in Dictatis anno 1723. solam gratiam discernere discretionem radicali, non formali; Non enim, inquit, habetur sine Titio operante, quod consentiat gratiæ, Cui resistit Cajus; & a solo Dei beneplacito fit, quod illum sic Deus vocat, quomodo scit congruere, non huic.

Contra 1. Hæc responsio refutata manet ex dictis. Quod enim est æquale in duobus, non discernit, nec etiam radicaliter, unum ab alio. Et quamvis ex solo Dei beneplacito data sit hæc gratia, quomodo sciebat congruere ut consentiret, non tamén ideò dedit consensum, sed expectavit a creatura, de quo proinde, ut de suo gloriarit. Unde

Contra 2. Hæc responsio succumbit argumento, & palam contradicit Apostolo, dum admittit hominem consentientem se discernere formaliter per suum consensum. Poterit ergo iste respondere Apostolo interroganti: Quis te discernit? Ego me discerno formaliter saltem, & maxime. Quid habes, quod non accepisti? Habeo consensum, quem non accepi a gratia, sed a me ipso. At prævidit Deus tum consensum, & vocavit, quomodo sciebat congruere, ut consentiret. Esto, non tamén dedit consensum, nec ob id minus meus est, & in hoc glorior, & me discerno.

Insupèr, si Deus sit auctor consensûs, & consentientem a non consentiente discernat per hoc, quod gratiam illi tribuit in his circumstantiis, in quibus prævidit consenturum; pariter potest dici auctor dissensûs respectu dissentientis, per hoc quod gratiam illi tribuit in his circumstantiis, in quibus prævidit dissensurum; quod dici nequit.

Respondet 3. P. Annatus, quod Apostolus non loquatur ibi de donis supernaturalibus diviniæ gratiæ, sed de donis natu-

ralibus sapientiæ & eloquentiæ, in quibus alii præ aliis excellabant in annuntiando Evangelium, & inde inflabantur, atque alios contemebant.

Contra. Nego assumptum, Patris Annati. Quamvis enim Apostolus hæc dixerit occasione eorum, qui de donis naturalibus gloriabantur, ejus tamén verba non ad hos solum restringuntur, sed generalia sunt, & spectant quæcumque dona sive naturalia, sive supernaturalia: nihil enim excipit: Quid habes, inquit, quod non accepisti? His ergo voluit totius humilitatis Christianæ facere fundamentum, & adversus quæcumque inanem gloriam, sive quoad naturalia, sive quoad supernaturalia nos præmunire. Ita intelligunt Interpretes, & inter SS. Patres Ambros. Theod. Ansel. apud Trinum. Imò S. Aug. libr. de Prædest. SS. c. 5. & libr. de Spirit. & litt. c. 31. & Conc. Arausic. 2. can. 6. hanc generalem Apostoli sententiam in particulari accipiunt de discretionem per gratiam. Et sanè paradoxum foret in Religione Christiana, hominem non posse gloriarì de bonis naturalibus, & posse de bonis supernaturalibus, quasi supernaturalia haberet a se, & naturalia a Deo.

Consequenter ad hanc auct. Apost. S. Cyprian. apud Aug. libr. de Prædest. SS. c. 3. dicit: In nullo glorandum est, quàm dicitur nostrum nihil est. Et S. Basil. Hom. 20. de humilitate: Nihil tibi electum est, o Homo! de quo possis gloriarì, per universum enim in gratia & dono Dei vivimus.

Longè plura alia Scripturæ loca profert adversus scientiam mediæ, sed brevitati studentes, hæc demittat annotamus. Apostolus Ephes. 1. dicit, Deum nos elegisse, non quia futuri eramus sancti, sed ut operari sancti. 1. Cor. 12. Deum operari omnia: Philipp. 2. Operari velle; atqui, sic nos elegit, ut essemus sancti: ergo priusquam eligeret non scivit nos esse sanctos, etiam sub auxilio gratiæ, ut præoccupetur evasio Tournely. Si operatur omnia & ipsum velle, ergo dat ipsum velle, & consentire; si dat, quomodo futurum cognoscere potest, antequàm decreverit dare?

Respondet Tournely, operari velle, quia sine gratia, quam gratis concedit, bonum non volumus. Sed quero: vel gratia determinat voluntatem meam ad velle & consentire, vel voluntatis consensus determinat gratiam ad mecum concurrentium. Si primum, habemus intentum, & Deus non potest prescribere futurum hunc consensum nisi in voluntate dandi gratiam illam determinantem & efficiantem: si secundum, ergo consensus gratiæ non est a gratia, sed a me.

§. IV. Mens SS. Augustini, & Thomæ circa Scientiam mediæ.

Missis pluribus Patribus, quorum aliquos §. præcedenti laudavimus adversus scientiam mediæ, Augustini mentem potissimum inquirimus; quia ejus doctrina in hæc materia, & ea maxime quam tradit in libris de Prædest. sanctorum & de dono perseverantiæ, est doctrina Ecclesiæ juxta illud Hormisdæ Papæ ad Possessorem: Ea, que sentit Romani Ecclesiæ de gratia & libero arbitrio, ex Libris S. Augustini ad Hilarium & Prosperum cognosci possunt. Id etiam constat ex hoc, quod Clemens VIII. in famosis Congregationibus de Auxiliis jussit, doctrinam Molinæ de scientia mediæ expendi ad mentem S. August. ut vidimus art. præcedenti.

Suppono tanquam certum, SS. Hilarium & Prosperum in suis Epistolis ad Aug. ei proposuisse scientiam mediæ ex parte semi-Pelagianorum.

S. Prosper in Epist. ad Aug. sic habet: Hæc ipsorum (semi-Pelagianorum) definitio ac professio est... Qui credituri sunt, quive in ea fide, que dicitur per Dei gratiam sit fœdanda, mansuri sunt, præstet autè mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione; & de hac vita bono fine excessuros esse prævidit... Hoc autem propositum vocativis Dei (hoc est decretum, quod admittit Augustinus) quo veli autè mundi initium, & vel in ipsa conditione generis humani, eligendum, & rejiciendorum dicitur facta discretio... Et lapsis curam resurgendi admire, & Sanctis occasione teporis adferre... Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.

Et ne dicas, ibi tantum sermonem esse de præsentia absoluta, paulo post subiungit S. Prosper. Cuius inter hæc innumèrabilium illis multitudo objicit parvulorum, qui utique, excepto originali peccato... nullas adhuc habent voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio concurrunt, ut ante discretionem boni ac mali de usu vite iturus auferendi, alii per regenerationem inter celestis regni assumantur hæredes, alii sine baptismo inter mortis perpetua transeant debitores. Tales sunt periti, talesque salvandi, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servaverint etatem, scientia divina prævidit. Itè, cum urgentur exemplo tot nationum, quarum

aliis est annuntiatum Evangelium, aliis non annuntiatum: Prævidis inquit a Domino credituros, & ad unquamque gentem ita dispensata tempora, ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. In in his duobus exemplis apertissime præsentia futurorum conditionatorum prævia decreto.

Similiter S. Hilarius in Epist. ad Aug. dicit: Cum eis (semi-Pelagianis) dicitur, quare aliis vel alicubi prædicatur... Dicunt, id præsentie esse divine, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quàm dè ubi prænoscebatur esse credenda. Quod confirmare tentabant testimoniis Patrum & maxime Aug. Unde immediatè subiungit Hilarius: Et hoc non solum aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur... Ut est illud, quod dicit sanctitas tua in questione contra Porphyrium de tempore Christianæ Religionis, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quàm dè sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.

Quapropter S. Prosper sub finem Epistolæ expressè rogat Aug. ut explicet, quomodo decretum præveniens nostras voluntates (quod volebant admittere semi-Pelagianis) non noceret libertati: an potius decretum innitatur præsentie: tandem ut respondeat objectioni petite ex suis, & aliorum Patrum testimoniis.

Obsecro, inquit, ut... digneris aperire... quomodo per istam præoperantem, & operantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum, utrum præsentia Dei ita secundum propositum (id est, decretum) moveat, ut ea ipsa, que sunt proposita, sine accipiendâ præsentia? an per genera causarum, & species personarum ista varientur, ut quia diversa sunt vocationes, in his, qui nihil operaturi salvantur (id est, parvulis) quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem, qui aliquid boni acturi sunt, per præsentiam stare possit propositum? an verò uniformiter, licet dividi præsentia a propositum temporali distinctione non possit, præsentia tamén quodam ordine sit submissa propositum... Illud etiam qualiter diluatur, demones (hic tangit objectionem peitiam ex Patrum testimoniis) quæ, retractatis prius de hac re opinionibus, panè omnium par, & una invenitur sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præsentiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia suum unicuiqueque prævidit, & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit?

Ex his omnibus palam est, Prosperum & Hilarium proposuisse Augustino ex parte semi-Pelagianorum scientiam mediæ, seu scientiam futurorum conditionatorum ante decretum. Nanc nobis incumbit probandum, S. Augustinum eam improbasse, non solum quantum ad abusum, seu quatenus exhibet Deo motivum conferendi vel denegandi gratiam, id concedunt Molinistæ, sed etiam eam improbasse quoad substantiam; hoc est, docuisse, nullam esse in Deo scientiam futurorum contingentium tam absolutorum, quam conditionatorum independentè a decreto absoluto & actuali, abstracto ab abusu, vel usu, ad quem adhiberi potest. Hoc autem probamus multipliciter ex libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ, quibus S. Doctor respondet SS. Prospero, & Hilario.

Prob. 1. S. Aug. libr. de Prædest. SS. c. 9. respondens objectioni semi-Pelag. petite ex his, que dixerat S. Doctor libr. de sex questionibus Paganorum contra Porphyrium, seu Epist. 49. quæst. 2. ubi videbatur insinasse scientiam mediæ, sic dicit: Illud autem, quod in opusculo meo, quod contra Porphyrium sub titulo, de tempore Christianæ Religionis, me dixisse recollitis ita dixi, ut hanc diligentem, & operosiorè disputationem de gratia præterirem, non sanè ommissa significatione, quod eam loco illo explicare noluissem, que posset alius, vel ab aliis explicari. Deinde recitatis iis, que dicto opere contra Porphyrium dixerat, subdit: Certissime me sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum, hoc de præsentia Christi dicere voluisse, quod concinente Paganorum infidelitati, qui hanc objectionem questionem, sufficere videretur? Quid enim est verius quam præscisse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? sed ut non prædicato sibi Christo a seipso habitu essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum unummodo eos præsciverit, an etiam prædestinaverit Deus, querere ac disserere, tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quàm dè sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quàm dè sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quantum, si ita diceretur, lectorem faceret attentum ad ea requirenda, que nunc ex admonitione pelagiani erroris necesse est copiosius, & laboriosius disputari; visum mihi est, quod tunc satis erat breviter

esse dicendam, excepta, ut dixi, altitudine sapientiae, & scientiae Dei; & sine praedictio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed aliis opportunitatibus disputandum putavi. Et lib. de dono persever. cap. 9. exponens hunc locum Math. 11. *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes*. &c. Quod est praecipuum adversariorum fundamentum, & ubi secundum ipsos fit mentio futuri conditionati, dicit S. Doctor: *Hæc certe de Tyro & Sidone non possumus dicere* (quod nempe opere cit. contra Porphyrium dixerat de Paganis, Christum noluisse eis apparere, quia praesciebat eos non credituros) & in eis cognoscimus ad eas causas praedestinationis hæc divina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium praedictio, tunc ista respondere me dicit. Hinc S. Thomas 3. part. quest. 1. art. 5. ad 2. proponens sibi hanc difficultatem, cur Christus prioribus sæculi non venerit, & referens responsum, quam dederat Aug. cit. lib. de sex QQ. Pagan. dicit, S. Augustinum reprobase hanc sententiam hic cap. 9. libri de dono persever.

Porro certum est, atque evidentissimum, S. Augustinum in his duobus locis citatis loqui de futuris conditionatis: quoad ultimum locum fatetur adversarii, & quoad utrumque patet; loquitur enim de futuris, de quibus locutus fuerat in sæpe cit. lib. de sex QQ. Pagan. Scilicet, qui credituri, qui non credituri, si in his, vel aliis circumstantiis appareret Christus. Certum est item, vel hic reprobase scientiam conditionatorum, qualem admitterat in lib. de sex QQ. Pagan. ut vult S. Thomas, & patet ex his verbis, *De Tyro & Sidone dicere non possumus*, quod scilicet dixerat de Paganis in lib. de sex QQ. Pagan. Vel saltem eam non admittere, nisi quatenus supponit praedestinationem, seu decretum: vult enim hoc olim a se fuisse dictum sine praedictio latentis consilii Dei; atque pariter certum est, S. Augustinum in 1. libro de sex QQ. Pagan. non docuisse scientiam mediam quoad abusum, seu quæ exhiberet Deo motum gratiæ conferendæ, aut opus bonum sine gratia; tum quia de ista questione non agebatur contra Paganos; tum quia id fuisset erroneum, & semi-Pelagianum: & tamen non dicit Augustinus, erroneum fuisse quod ibi dixit, sed tantum non explicasse causas latentiores huius dicti: ergo certum est, atque evidentissimum, Augustinum in libris de prædest. SS. & de dono persever. reprobase scientiam mediam, nedum quoad abusum, sed etiam quoad substantiam.

Respondet Tournely, S. Augustinum nullibi revocasse, quod scripserat in questionibus Paganorum, sed exposuisse dumtaxat, & declarasse, se non docuisse gratiam fidei a Deo illis in tempore concedi, quos ab æterno credituros prænotavit sive ex gratia, sive ex pio quodam naturali ad credendum affectu; sed hæc scripsisse absque praedictio latentis Dei consilii, hoc est, praedestinationis, qua statuit fidei gratiam quibus voluerit concedere.

Ad auctoritatem S. Thom. respondet, S. Thomam referre locum integrum S. Augustini, qui duabus paribus constat, in quarum prima S. Doctor ait Christum tunc voluisse hominibus apparere, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; in postrema verò omnes illos, ad quos non venerat, prævisos a Deo incredulos fore, si ad eos venisset; quod postquam retulit S. Thomas, addit: sed hanc responsum reprobase Augustinus in lib. de Persev. dicit: *Nam quid possumus dicere, Tyrios & Sidonos talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, cum ipse Deus attetetur eis, quod acturi essent magna humilitatis penitentiam, si eis facta essent divinarum illa signa virtutum*. At manifestum est, his S. Aug. verbis postremam dumtaxat partem textus a S. Thom. citati reprobari, non primam: ergo.

Sed contra 1. aperte militant hæc Augustini verba prius citata ex lib. de Prædest. Sanct. *Sed utrum, prædicato sibi Christo, a seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædixisset Deus?* &c. Quibus verbis significat, se non agnoscere præsentiam independentem a decreto; sumit enim hic & alibi sæpe Augustinus nomen *Prædeterminationis* in latiori significatione pro quovis decreto. Item aperti responsum Tournely evertunt, quæ dicit S. Doctor 2. loco cit. de Persev. ubi expressè declarat, se non posse dicere de Tyro & Sidone, quod dixerat de Paganis in questionibus Paganorum, scilicet Christum noluisse apparere eis, quos præsciebat non esse credituros; nec tamen dixerat in questionibus Paganorum, Deum concedere aut denegare gratiam fidei ex prævisione consensu, vel dissensu, quod erat abusus scientiæ mediæ apud semi-Pelagianos: proinde quæ expressè reprobat Augustinus, quod dixerat in questionibus Paganorum.

Contra 2. retractatio Augustini afficit etiam primam partem suæ propositionis desumptæ ex lib. de QQ. Pagan. Si enim, ut hic agnoscit S. Doctor, noluit Christus suum Evangelium predicari Tyriis, & Sidonis, quos tamen sciebat credituros: ergo stare non potest, quod generaliter dixit in prima parte

propositionis, quod eis apparere voluerit, quos sciebat credituros; cum sciret Tyrios, & Sidonos credituros, quibus tamen noluit apparere.

Prob. 2. August. in lib. de dono persever. cap. 17. respondens questionibus Hilarii: *An ea, quæ sunt a Deo præscita, sint etiam ab eo prædestinata, ita ut præscientia sit submixta decreto*: quæ est ipsissima questio scientiæ mediæ quoad substantiam, statuit pro principio, & regula generali, quod, si opera nostra bona non sint a Deo prædestinata, nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nesciunt: Quod si & dantur, & ea se daturum esse præscivi, profecto prædestinavit. Et de prædest. Sanct. cap. 10. *Prædestinatione*, inquit, *Deus ea præscivi, quæ fuerat ipse facturus*. Hoc autem posito generali principio stare non potest scientia mediæ, juxta quam sunt a Deo præscita bona, & non prædestinata: quod ut manifestius fiat, sic argumtor: Quod Petrus, si ponatur in his circumstantiis, sit gratiæ consensus potius quam dissensus, vel erit a Deo donante, vel ex innata arbitrii libertate: si erit a Deo donante, id juxta Augustini principium præsciri non potuit ante vel extra decretum, sicut nulla est scientia mediæ saltem circa illum consensus. Si non erit a Deo donante, sed ex innata libertate: ergo quod maxime conducit ad salutem, nempe gratiæ consentire potius quam eam rejicere, non erit donum Dei, sed fructus liberi arbitrii; quod non est tantum contra Aug. sed etiam contra fidem.

Prob. 3. Aug. eod. lib. de persever. cap. 18. respondens objectioni semi-Pelagianorum, petite ex testimoniis aliorum Patrum antiquiorum, quam ipsi proproserant SS. Hilarii, & Prosperi; postquam ostendit, Patres antiquiores nomine scientiæ non intellexisse meram præsentiam decretis Dei præviam, sed includentem decretum, & ei innixam, concludit capite sequenti statuendo hanc alteram regulam generalem: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legitimus Dei præsentiam, & agitur de vocatione Electorum, eandem prædestinationem intelligere?* Quo altero principio palam est, pariter everti funditus scientiam mediam, juxta quam datur, præsentia boni pertinentis ad vocationem electorum, scilicet consensus gratiæ conditionatæ futuri, quæ non est prædeterminationis.

His & aliis benè multis Augustini principiis, quæ brevitate causa omittimus, & quorum quædam infra recurrent, præsertim ubi de incommodis scientiæ mediæ, variè respondent adversarii.

1. Dicunt, Augustinum, dum rejicit præsentiam boni operis decreto anteriorem, loqui de præsentia absoluta, seu futurorum absolutorum, non conditionatorum. Ità Tournely cum suis. Sed contra 1. Hæc responsio palam contradiicit textibus Aug. in 1. probatione laudatis, ubi ostendimus, 2. Augustinum, docendo præsentiam futurorum fundari in decreto, sive rejiciendo præsentiam anteriorem decreto, vel semper loquutus est de futuris absolutis, nunquam de conditionatis, vel aliquando de conditionatis; si hoc ultimum, habemus intentum, & ruit prædicta responsio. Si primum, ergo omisit Augustinus respondere præcipue difficultati sibi propositæ a Prospero sub finem Epistolæ ex parte semi-Pelagianorum; scilicet *utrum uniformiter*, id est, tam in adultis quam in parvulis, de quibus erat certò futurum conditionatum, *præsentia quodam ordine sit submixta propositio?* Illudunt Molinistæ, dum hic distinguunt inter futura absoluta, & conditionata, siquidem in eorum principiis neque futura etiam absoluta Deus cognoscit in suo actuali decreto, sed vel in supercomprehensione causarum, vel in decreto futuro, vel in veritate formali, seu obiectiva, vel in sua essentia, ut specie intelligibili in representando infinita, ut vidimus art. 4. præsentis Dissert. & reverà in eo systemate neque decretum concurrenti, quod vocant concursum in actu primo, neque ipse concursus in actu secundo potest esse ratio cognoscendi determinatæ actum liberum sive absolute, sive conditionatæ futurum, ut ingenue fatetur, & Probat P. Annatus disp. 4. de scientia mediæ c. 3. §. 2. num. 62. Nam, inquit, *si sumatur in actu secundo, concursus ille est ipsa res scita* (identificatur enim cum concursu creaturæ) *Si autem sumatur in actu primo pro decreto concurrenti, ejus suppositio est quidem ratio, sine qua nihil sciri potest conditionatæ, ac liberæ futurum, sed non est ratio scientiæ futurum hoc potius quam illud* (quia nempe est decretum concurrenti ad nutum voluntatis creatæ, & dependenter ab ejus determinatione). *Sed nec est alia ulla talis ratio: hujusmodi enim futura libera, sive absoluta, sive conditionata, nihil habent quod sit ipsa ratio, ut determinatè videant, ideoque videri dicuntur in illa sua præsentia, quam aut habent, si absoluta sunt, aut habent, si sunt conditionata*. Et tamen, quod advertas, non solum dicit Aug. bona præscita a Deo esse ab eo prædestinata, sed & Deum ea præscire in sua prædestinatione, seu decreto.

Respondent 2. Augustinum in his, & aliis locis rejicisse scientiam

scientiam mediam in semi-Pelagianis quoad abusum tantum. Sed contra 1. Hæc responsio non secus ac præcedens impugnatur ex dictis in prima probatione, vide ibi. 2. Constat ex principiis generalibus Aug. relatis in 2. & 3. probatione. Si enim juxta Aug. nihil boni possit a Deo præsciri, quod non sit ab eo prædestinatum, nec nisi in ipsa prædestinatione, evidens est, non stare scientiam mediam quoad substantiam; hæc enim est præsentia futurorum independentem a decreto, & illo anterior. 3. Constat ex dictis initio hujus §. scientiam mediam etiam quoad substantiam, & usum legitimum conciliandi per eam libertatem humanam cum divinis decretis, fuisse propositam Augustino ex parte semi-Pelagianorum: unde S. Prosperus in fine Epistolæ petit ab Aug. ut explicet, *quomodo per illam præoperantem gratiam non lædatur liberum arbitrium?* ut conquerebantur semi-Pelagiani. Item, *an per præsentiam possit stare propositum?* An è contra præsentia submixta sit propositum? Quod est in terminis proponere scientiam mediam, non quoad abusum, sed quoad substantiam. Augustinus itaque in suis responsionibus ad SS. Prosperum, & Hilarium scientiam mediam sic propositam, & semi-Pelagianorum querimonias de lesione libertatis ac fatali necessitate vel approbavit, vel omisit, vel improbavit: si hoc ultimum, habemus intentum; secundum dicti non potest absque injuria tanti Doctoris: si primum, ostendit adversarii ubi, & quomodo approbavit. Verum, ut hoc argumentum magis elucescat,

Prob. 4. Si Augustinus probavit scientiam mediam quantum ad substantiam, qualem nunc docent Scholæ Moliniana; quero, cur illam non proposuit semi-Pelagianis ad compescendas eorum querimonias, & ad sedanda scandala orta occasione suæ doctrinæ: videmus enim supra referre testimonium, illos conquirit, *removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio, ut dicebat Aug. humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædeterminationis nomine fatalem necessitatem induci, & paulo ante propositum illud vocationis Dei, & lapsus curam resurgendi, & sanctis occasione temporis offerre*. Quare, inquam, his querelis sedandis, & objectionis solvendis non adhibuit Aug. scientiam mediam; nihil enim erat expeditius ad ea inconvenientia semovenda, cum ad id sit excogitata; eam tamen nullibi in responsionibus ad Hilarium, & Prosperum admisisse constat, & fatetur Tournely, Gabriel, Daniel cum aliis Molinistis; eam ergo certo certius non probavit Aug. aut si probavit, maxime culpandus est, quod tam facili ac prompto remedio tot malis ac scandalis mederi omiserit, suam, & Religionis causam tueri neglexerit, & dissensiones in Ecclesia solo litigandi studio fovit, quod sanè de tanto Doctore nefas est suspicari.

Huic argumento, quo non parum urgentur adversarii, occurrat Tournely, dicens Augustinum ideo non adhibuisse scientiam mediam contra querelas semi-Pelagianorum, eò quod intelligeret se nequiquam per eam apud illos proficere posse; scientia enim mediæ quoad substantiam, inquit, & qualem defendunt Catholici, supponit necessariam esse gratiam, quæ voluntatem præveniat; sed illam gratiam didicere negabant semi-Pelagiani; quod concipere non possent, qua ratione staret libertas voluntatis, si opus haberet gratia præveniente. Sed contra 1. Tournelyum falsi redarguit dux ejus Molina, dum in concordia quest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro ultimo Edit. Ulyssip. omnes antiquos, & ipsum Augustinum quasi oscitantem inculpans dicit, quod, si quatuor principia, quæ statuit, inter quæ tertio loco scientiam mediam reponit *data explinataque semper fuissent, fortè neque Pelagiana heresis fuisset exorta... neque ex Aug. opinionis concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquæ ille Pelagianorum in Gallia, quorum in Epistolis Prosperi, & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ*; ergo, teste Molina ipso proficisset Aug. apud semi-Pelagianos, si contra eorum querelas adhibuisset scientiam mediam, qualem defendunt Catholici. Contra 2. Falsum est, semi-Pelagianos saltem omnes negasse necessitatem gratiæ interioris prævenientis, qualem defendunt Molinistæ. Id alibi probabimus, & interim constat ex eo, quod debebant omnes esse gratiæ vocatos; certum est autem, non omnes esse vocatos per gratiam exteriorem prædicationis, exhortationis, &c. ergo per gratiam interiorem. Contra 3. Dato omnes semi-Pelagianos negasse necessitatem gratiæ interioris prævenientis, qualem defendunt Molinistæ, non ideo illam negabant, quod crederent per eam tolli libertatem: quis enim nisi mente captus suspicari potest, gratiam omnibus indifferenter datam, libero arbitrio permissam, & voluntatis consensum expectantem, qualem defendunt Asseriores scientiæ mediæ, vel minimum nocere libertati? Id sanè nunquam somniarunt semi-Pelagiani, viri aliquoquin subtiles & docti. Hujusmodi verò gratiam negaverunt (si negaverint), ne Deus diceretur acceptor personarum, si pro suo nutu absque aliquo motivo ex parte hominis, unum assumeret, alium

relinqueret. *Personarum acceptorem Deum*, inquit Aug. Ep. 105. ad Sextum, *se credere existimant, si credant, quod sine ullis præcedentibus meritis tuus vult miseretur*. Quapropter, si S. Aug. declarasset Deum nihil circa salutem hominum absolute decernere, nisi prius exploret, quid voluntas sit actura sub gratia oblata, & hanc gratiam, quam dicebat prævenire voluntates, non esse seipsa efficacem, & determinativam infallibiliter, sed indifferenter, omnibus communem, & eorum permissam libero arbitrio, certo certius est quod semi-Pelagiani omnes ad unum ex hac parte acquiescerent, nec amplius fuissent conquesti ex sententia Aug. industriam removeri, virtutes tolli, adimi liberum arbitrium, & fatalem induci necessitatem.

Prob. 5. Catholici defensores scientiæ mediæ objiciunt contra decreta absoluta, & antecedentia Thomistarum, quæ semi-Pelagiani olim objiciebant contra decreta Aug. nimirum per ea tolli libertatem, & fatalem induci necessitatem: ergo S. Doctor sentiebat, quod sentiant Thomistæ, & improbat in semi-Pelagianis, quod Thomistæ improbat in Molinistis.

Respondet Tournely 1. ideo semi-Pelagianos impugnasse decreta Aug. quia falso existimabant per gratiam prævenientem, quam requirebat S. Doctor, extingui libertatem. Verum jam diximus, nullum fuisse locum huic objectioni, si reverà Aug. non requirebat aliam gratiam, quam Molinisticam.

Respondet 2. ex hoc argumento dumtaxat sequi, semi-Pelagianos errore facti laborasse circa mentem, & doctrinam Aug. quam ignorabant; reverà enim nusquam decreta hujusmodi admisit Augustinus. At non advertit Tournely, nimio tunc doctrinæ Molinisticæ zelo abreptus, se hac responione, dum semi-Pelagianos excusare tentat, Augustinum accusare. Si enim semi-Pelagiani errore facti laborabant circa mentem, & doctrinam Aug. si reverà ipse S. Doctor non sentiebat, quod illi dicebant cum sentire; quare eos non docuit, quare mentem suam non aperuit in responsis datis SS. Hilario, & Prospero, hac de re ipsum interrogantibus, ut sic sederet scandala, & dissensiones ex falsa suæ doctrinæ intelligentia ortas? Erit ergo Aug. juxta Tournelyum reus ejusdem criminis, quod Augustinus olim reprobatat Philosophis Ethicis, nimirum veritates per injuriam detente, & ad pacem Ecclesiæ adstruendam necessariae?

Prob. ultimò. Tandem, ut quid tot inutiles conatus adhibet Tournely, ut Aug. vel invirum in suas partes pertrahat, & ut quid nos in eo confutando tamdiu immoramur, cum habeamus fatentes adversarios? Ipse scholæ Princeps Molina ingenè agnoscit scientiam mediam, qualem ipse docet, non fuisse Aug. notam, melius dixisset probatam. Patet ex dictis in 4. probatione. Item 1. p. q. 23. art. 4. & 5. cum docuisset, prædeterminationem non fuisse in Deo absque eo quod præsciret, quid faceret liberum arbitrium: dicit: *Interè verò sub ea quasi caligine Augustinus hoc non attendit*. Vasquez 1. p. disp. 97. cap. 3. n. 19. & 20. apud Comp. Salmantic. *Fateor sanè, inquit, suspecta mihi esse testimonia Prosperi, & Fulgentii* (in materia de gratia) *quod diligentissimi, & exactissimi Augustini discipuli sint, & oppositam* (ei, quam tenet ipse Vasquez) *videantur sequi sententiam*. Id amplius probabitur infra, cum impugnavimus scientiam mediam ex ejus novitate.

Quantum ad D. Thomam.

1. S. Doctor nusquam meminit scientiæ mediæ, sed dumtaxat scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ merè possibilis spectat; & visionis, quæ futura supposito decreto inveniatur.

2. Quotiescumquè S. Doctor sibi proponit argumenta, quæ conglomerant adversarii circa concordiam libertatis cum divinis decretis, nunquam confugit ad scientiam mediam exploratorem consensu aut dissensu libertatis humanæ ante decretum, sed cum Aug. recurrit ad ipsius divini voluntatis efficacissimam potestatem. Ità hic q. 19. art. 3. *Cum voluntas divina, inquit, sit efficacissima, non solum sequitur quod ea fiat, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiat, quo Deus vult fieri, vult autem quædam fieri necessariò, & quædam contingenter, & libere*. Similiter alibi.

3. Ille rejicit scientiam mediam, qui negat ejus obiectum, atqui S. Th. negat obiectum scientiæ mediæ: ergo. Prob. Min. Obiectum scientiæ mediæ est futurum conditionatum ante Dei decretum actuale; atqui secundum D. Th. nullum est futurum ante Dei decretum actuale: ergo. Minor est S. Th. hic q. 16. art. 7. Vide locum cit. art. 4. hujus Diss. §. 1. conclus. 5. Neque valet, si dicas S. Th. esse intelligendum de futuris absolutis, non conditionatis: quia eadem est ratio de conditionatis ac de absolutis proportione servata, ut patebit §. sequenti.

4. Ille rejicit scientiam mediam, qui docet creaturas non posse cognosci a Deo immediate in seipsis, sed in ipsa ejus essentia; per scientiam mediam enim, si daretur, Deus non vide-

luntates. Prob. Constans est Aug. & omnium, ut puto, catholice sententiam doctrina, Deum voluntates hominum in quibusvis circumstantiis posse in bonum convertere. Quis, inquit S. Doctor in Ench. cap. 97. tam impie desipiat, ut ita dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Quod pluries repetit, & ex eo probat, quod Deus sit omnipotens: atqui in systemate scientiæ mediæ Deus non potest salva libertate voluntatem inclinare in consensum in iis circumstantiis, in quibus prævisa est dissensus, nequidquam certo decernere de actibus nostris liberis, nisi prius exploraverit quid nos ipsi volumus: ergo. Si dicas, Deum posse voluntatem in aliis circumstantiis ponere, in quibus obnebit consensum; hoc uno dato, de quo modo, saltem in prioribus obtinere non poterit, sicque non poterit voluntatem in bonum convertere, quando & ubi voluerit, nec in ipsam voluntatem, sed in circumstantias tantum dominium habebit.

Ast, inquit Honor. Tournely post P. Daniël, quomodo feri potest, ut ea scientia, quæ representat Deo varios ac multiplices modos, quibus uti potest ad flecendas, & superandas nostras voluntates, quando, & ubi voluerit, qualis est scientia mediæ, detrahat divinx omnipotentix, & supremæ ejus dominio in nostras voluntates? Verum more suo illud Tournely, & gratis fingit, ut fucum faciat: falsum quippe est quæ maxime, quod supponit, nimirum scientiam mediæ representare Deo multiplices modos, quibus possit certo, & infallibiliter, prout, & quando voluerit, fletere nostras voluntates, & determinare ad consensum: exhibet enim dumtaxat secundum suos Auctores gratias permissas libero arbitrio, seu mediis, quibus Deus moraliter tantum invitat, & excitat voluntatem ad consensum, quem spectat ab innata libertate sub concursu indifferenti: alioquin, juxta ipsum Tournely, & omnes Molinistas consensus iste non foret liber, & voluntas se haberet passivè ad illum.

Attamen, quasi decretoriam solutionem dedisset Doctor Molinianus, ex argumento non nihil commotus sic prosequitur: Non enim ex ignorantia, aut ex impotentia Deus utitur illa conditionatorum scientia, ut præcognoscat quid homo in is, vel illis circumstantiis constitutus facturus sit. Quis tam demens ac impius, qui hoc asserat? Equidem demens, & impius foret, qui hoc assereret; neque dicimus nos, Molinistas id positivè asserere; sed id, ut nobis videtur, sequi ex eorum sententia. Etenim, antequam Deus per scientiam mediæ exploret, quid placuerit voluntati humanæ ex innata sua libertate, nescit quid sit actura: & postquam prævidit, quid sit ex se actura, non potest aliter decernere salva ejus libertate: hoc est, non potest decernere, ut non consentiat in iis circumstantiis, in quibus prævidit consensuram; neque ut consentiat in iis circumstantiis, in quibus prævidit dissensuram, alioquin, ut jam dixi, juxta illud systema, consensus non foret liber: ergo videtur quod Deus utatur hac conditionatorum scientia ex ignorantia, & ex impotentia.

Imò non repugnat in eo systemate, dari hominem, quem Deus etiam de potentia sua absoluta non possit in ulla circumstantia convertere. Namque non repugnat ex natura rei, esse hominem, qui in nullis circumstantiis velit converti, seu consentire gratis prævis moraliter tantum moventibus, hæc quippe sive conjunctum, sive separatim non habent nexum infallibilem cum consensu, nec unquam vi sua superabunt resistantiam voluntatis. Gratiam autem per se efficacem, quæ vi sua cor istud pervicax emollit, & invictissimè convertat, tamquam excidium libertatis abhorrent defensores hujus systematis. Restat ergo, Deum non habere cordium inclinandum omnipotentissimam potestatem, ut loquitur Aug. seu non posse cor hominis vertere quocumque voluerit, ut dicit Scriptura, uno verbo, non esse omnipotentem.

Quartum inconveniens. In systemate scientiæ mediæ Deus non est magis Auctor bonorum, quam malorum operum, contra illud Trid. sess. 6. can. Si quis dixerit, mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permittit solum, sed etiam propriè, & per se; anathema sit. Prob. in systemate scientiæ mediæ in tantum Deus est causi bonorum operum, in quantum ponit hominem in iis circumstantiis, in quibus prævidit eum bene usurum gratia oblata, & cum eo simultaneè concurrat ad bonum opus; atqui paritèr illum, qui malè agit, ponit in iis circumstantiis, in quibus prævidet illum gratia oblata, malè usurum, & concurrat simultaneè cum illo ad malum opus: ergo. Neque obstat, quòd Deus intendat bonum opus, & non malum; quia hic non quaeritur, quid intendat Deus, sed quid faciat: aliudè, quamvis Deus non intendat malum, sæpè tamè intendit illud permittere, ut ex eo eliciat bonum. Nec etiam obstat, quòd per gratias morales excitet ad bonum opus, non enim ex his Deus potest dici propriè operari bonum, & esse causa ejus propriè dicta, quia causalitas moralis est impropria, & metaphorica. Adde,

Deum non rarò constituere suos, ut eos probet inter gravissimas tentationes, in quibus sub minorâ motiva moralia ad bonum.

Quintum inconveniens. Scientia mediæ tollit præcipua ex parte orationis necessitatem. Prob. Id a Deo petimus, quod ab ipso dari credimus, & non quod a nobis pendet: Irrisoria enim est petitio, inquit Aug. cum ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante, esse in potestate hominis. Atqui quòd præcipuum est in negotio salutis, nempe consensus gratiæ omnibus indifferenter oblatæ, in systemate scientiæ mediæ non est a Deo, sed a nobis: ergo illum a Deo petere non debemus. Quid ergo petat a Deo Molinista? non gratiam efficacem, quæ faciat velle, quæ auferat cor lapideum, quæ rebellem ad se compellat voluntatem, ut orat Ecclesia; hoc enim totum ipsius est, & poterit Deus illi respondere: fac tu ipse gratiam efficacem illi consentiendo. Id unum ergo petere poterit, ut Deus ipsum constituat in iis circumstantiis, in quibus prævidit ipsum gratiæ consensurum.

Respondet Tournely, Molinistas docere gratiam nemini debitam esse, sed gratis a Deo conferri. Esto: Sed etiam docent, omnibus offerri; & quamvis non offerretur, solum deberent petere gratiam, non verò bonum usum gratiæ, qui ab ipsis pendet. Instat, bonum usum gratiæ non sic esse in potestate liberi arbitrii, ut auxilio uberiori non indigeat ad bene operandum. Sed hæc verba sunt, & nihil amplius. Numquid enim in eo systemate, si ex me consentiam gratiæ oblatæ, Deus infallibiliter mecum concurrat ad bonum opus, ad quod offerretur gratia, idque per scientiam mediæ prævidit? Et si ad ulterius opus indigeam uberiori auxilio, numquid & istud etiam offerretur? & dato non offerri, petam, ut offeratur, non autem ut sit efficacis, non ut me faciat velle, & consentire, id enim meum est. Hinc

Sextum inconveniens. Ex dictis sequitur 1. Quòd in systemate scientiæ mediæ non debeamus agere gratias Deo pro eo, quod est caput in negotio salutis, scilicet pro nostra determinatione ad bonum, quæ ex penu nostro elicitur. 2. Quòd in sola spe ejus gratiæ, ut Ecclesia canit, inniti non debeamus, sed præcipuè in nostra libertate. 3. Quòd non sit necesse ita timere pro nostra salute, neque tam anxie, tam sedulo illi invigilare, cum penes nos sit gratiæ omnibus oblatæ quovis tempore consentire, & efficacem reddere. 4. Tandem quòd concutatur fundamentum humilitatis christianæ, cum unus per consensum gratiæ ab alio consentiente se discernat, & præ illo possit gloriari, ut supra arguebamus ex Apostolo.

Septimum inconveniens. Scientia mediæ sternit viam præcipuo errori semi-Pelagianorum, & argumenta Aug. & Catholicorum adversus illos incassa reddit. Prob. Præcipuus error semi-Pelagianorum erat, dari in nobis initia fidei, & bonæ voluntatis (an ita tamè non admiserint aliquam gratiam præviam etiam internam, non disputo modo) undè inerebant, Deum ex his initiis boni prævis moveri ad dandum nobis gratiam, non quidem tanquam ex merito propriè dicto, sed tanquam ex occasione, ut patet ex Cassiano l. collat. cap. 13. & 16. Undè cap. 14. dicit: Præstitit est Deus ex occasione tantummodo nostræ voluntatis oblatæ, ad hæc omnia referenda. Ex quibus S. Prosper contra Collat. cap. 8. infert, id esse aliquale meritum; Nec enim, inquit, nullius meriti haberi potest petentiis fides, querentis pietas, pulsantis instantia. Quod si positivè asserisset Cassianus, arguendo non inferret S. Prosper. Atqui, licet defensores scientiæ mediæ negent Deum moveri ex consensu gratiæ prævis sive ut merito, sive ut ex occasione ad dandum gratiam, negare tamè non possunt, nihil esse absurdi, nihil repugnare, quinimò conveniens esse, ut Deus his moveatur saltem tanquam ex occasione, ut dicebat Cassianus, ad dandum gratiam his, quos prævidet spontè consensuros, potiusquam aliis, quos prævidet abuturos. Sicut, v. gr. in artifice nemo reputabit absurdum, sed maxime conveniens, quòd ex instrumentis illud eligat præ aliis, quò novit sub eadem motione sua opus longè perfectius efficiendum; bonus namque usus gratiæ, puta in Petro, offertur conspectui divino, eique non placere non potest hæc Petri docilitas; proindeque est valde conveniens, aut saltem nihil absurdi habet, quòd moveat Deum ad dandum gratiam illi, quem videt tam tractabiliter, & tam spontaneè cooperaturum. Ergo semi-Pelagianorum errorem ut absurdissimum perperam impugnavit Aug. cum aliis Catholicis, eorumque argumenta in eos vibrata concidunt, admissa semel scientia mediæ.

Octavum inconveniens, præcedenti affine, & gravius. Systema scientiæ mediæ non videtur satis recedere ab errore semi-Pelagianorum. Hoc dico, non asserendo, sed arguendo. Prob. S. Aug. de Prædest. Sanct. cap. 2. in eo reponit semi-Pelagianismum, quòd quasi cum Deo componat, ita ut partem homini vindicet, & partem Deo, & quod pejus est, homo primum tollat, Deo posterius det: Volens, inquit S. Doctor, a seipso sibi

§. VII. Scientia mediæ ipsa sua novitate reprobanda.

Antiqua est veritas, teste Aug. novitum & temporale mendacium. O Thimothee! inquit Apost. 1. Tim. 6. depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. Quod exponens Vincentius Lirin. Commonit. 1. cap. 27. dicit: Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te invenitum, quòd accepisti, non quod excogitasti, rem ingenii, sed auctoritate, non uti potestis privata, sed publicè traditionis, rem ad te perductam, non a te prolata, in qua non Auctor debes esse, sed custos. Plura alia adversus novitas opiniones proferunt Scriptura, Patres, & Theologi. Illa ergo doctrina in rebus præsertim Theologiis merito est rejicienda, quæ novitatis vido laborat.

Porro, scientiam mediæ esse novam in Scholis Catholicis, Patribus, & antiquis Theologis ignotam; palam profiterentur ipsimet ejus Assertores. In primis ipse Molina in Concord. q. 23. art. 4. & 5. Disp. 1. membro ult. Edit. Ulyssipon. 1588. se hujus inventorem jactat: Longior, inquit, fui in hæc disputatione, quam putarim; quia tamen res est magni momenti, & valde lucrica, & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione a nemine quem viderim huc usque tradita fuit, idè satius hæc duxi paulò fustius explicare. Item ibid. Quæ, nempe quatuor principia conciliandæ libertatis cum divinis decretis, inter quæ tertio loco reponit scientiam mediæ, si data explicataque semper fuissent, foret neque Pelagianis hæresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianismumque defecisset, jacileque relique Pelagianorum in Gallia, exoritur in Epistola Prosperi, & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ... concertationes denique inter Catholicos fuissent compositæ.

Singularem hic se exhibet Tournely, dum hanc novitatis maculam suo Molina abstergere tentat: contendit namque, Molinam non dixisse scientiam mediæ non fuisse prius datam & explicatam, sed bene suam rationem conciliandi libertatem cum divina prædestinatione, & de ea ratione, inquit, non de scientia mediæ, subjungit Molina, quæ si data explicataque semper fuissent: sicque juxta Tournely erit hæc Terris Moliniani constructio: QUÆ RATIO SI DATA FUISSET. Id non ferunt leges grammaticæ. Sed eo trahit impotens tuendæ scientiæ mediæ zelus. Non ergo de sua ratione conciliandi libertatem, sed de suis quatuor principis, inter quæ, ut dixi, reponit scientiam mediæ, ut dixit Molina: Quæ si data, explicataque semper fuissent, non ignarus primorum elementorum Grammaticæ, quam dubio procl. docuerat. Neque solum dicit, explicata, sed & data. Ergo ante non erat data scientia mediæ: dedit ergo ipse primus, & in Scholis invexit.

Sed & dato Molinam his verbis intellexisse, suam rationem conciliandi libertatem cum divina gratia, & prædestinatione, eamque agnovisse novam, & a se inventam, ut revera in prioribus verbis dissertè agnoscit, non idè eluigit Tournely, nec suam Molinam salvat. Quid enim est quæso apud Molinam, & Molinistas ista ratio conciliandi libertatem cum divina gratia, & prædestinatione, nisi scientia mediæ? Hoc & in pulpitis, & implatis clamant Molinista, contenduntque sine scientia mediæ actum esse de libertate nostra. Ex quo sequitur, falsum esse quam maxime, quòd asseruit Tournely, Molinam non innovasse in dogmate, sed in methodo illud exponendi. Est enim scientia mediæ, si detur, verum dogma & fundamentum totius systematis Theologici circa materiis gravissimas scientiæ, voluntatis, & gratiæ Dei, atque libertatis humanæ. Et sine hæc æquum videtur atque inurbanum, nuperum hunc Scriptorem velle suffurari sui Molinæ gloriam, quam non solum ipse Molina sibi vindicat, sed etiam quam plurimum ejus socii ipsi tribuant, ut patebit ex modo citandis.

2. Pater Fonseca inventæ scientiæ mediæ gloriam Molinæ suo discipulo, quasi invidens in sua Metaph. quem post concordiam Molinæ edidit, Thom. 3. l. 6. cap. 2. q. 6. sect. 8. declarat, scientiam mediæ a se fuisse excogitatum ante 30. annos, & cur ante Molinam discipulum suum eam non vulgaverit, hæc adfert rationem: Unum illud, inquit, scrupulum iusticiebat, ne hæc ratione novum aliquid fortasse induceretur, quòd non omni ex parte cum communi Patrum doctrina aut diligenti scholasticorum examine, & accurata lima concerneret: neque enim quisque erat, qui hoc pacto libertatem arbitrii nostri cum divinis præscientiis aut providentiis aperiret, & ut dicitur in terminis, conciliasset.

3. Vasquez, celeberrimus ejusdem Societatis Scriptor 1. p. disp. 67. c. 4. sic ait: Quid antiqui Scholastici, qui hæcenus scripserant, tantum meminere simplicis scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, parum interest; tum quia illi de hac scientia sub conditione nihil omnino disputarunt, aut meminere.

esse quòd credit, quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquit, & quòd est elatus, gratiam tollit ipse, sequentem dat illi; & in eo, quòd dicit esse ambonum, priorem se facit, posteriorem Deum. Atqui defensores scientiæ mediæ videntur idem sentire quòd substantiam, & differre tantum in modo dicendi: ergo. Prob. Min. & 1. quòd cum Deo componat, licet paulò aliter quam semi-Pelagiani. Hi namque sic componebant cum Deo, ut initium & finem boni operis libero arbitrio adscriberent, intermedio verò opera Deo tribuerent: defensores scientiæ mediæ in quolibet bono opere partem Deo, partem homini tribuunt; in quantum Deum & hominem constituunt duas partiales causas partialitate causalitatis, quarum quælibet aliquid de suo fundo erogat, nempe proprium influxum seu concursum, sicut duo trahentes unam navim, ut late probat Livinus de Meyer, acerrimus scientiæ mediæ defensor Dis. 1. de mente Conc. Trid.

Quòd autem hominem priorem faciant in bono opere, posteriorem Deum, patet; quia dicunt, Deum se exhibere paratum ad concurrendum indifferenter ad hunc actum, vel oppositum, hominem verò determinari hunc indifferenciam, & esse causam, cur Deus ad hunc actum potius, quam ad oppositum concurrat. Vide supra §. 2. n. 3. & 4. plurimum Molinistarum textus; atqui causa prior est eo, cuius est causa: ergo in hoc quòd est hic, nunc concurrere ad hunc actum potius quam ad oppositum homo est prior Deo; & si sit opus bonum, potior laus debetur homini quam Deo, cum Deus offerat dumtaxat concursum indeterminatum ad bonum vel ad malum, homo verò ipsum determinet ad bonum.

Respondet Adversarii, se duplici modo recedere a semi-Pelagianis. 1. Quia admittunt etiam ad initium fidei gratiam concomitantem & physicè cooperantem, quam ipsi non admittunt. 2. Quòd requirunt ulterius gratias morales prævenientes, & excitantes, quas illi non admittunt.

Ad 1. nego, semi-Pelagianos non admisisse gratiam concomitantem, seu concursum simultaneum; patet ex his verbis Prosperi ad Aug. Nec considerant, se gratiam, quam comitem, non præviam, humaniorum voluntate esse meritorum, etiam his voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suamphantasiam non negant esse prævenitas, scilicet oblatione, non collatione. Neque ulla erat ratio, cur negarent concursum simultaneum, modo concederetur esse a voluntate determinabilem ad hunc actum potius quam ad oppositum. Hoc enim posito stat semper palmare eorum dogma ad Aug. Prosp. & Hilario impugnatum, nempe, hominem componere cum Deo, partem sibi vindicare, partem Deo relinquere, & se priorem facere, Deum posteriorem, ut loquitur Aug. vel ut dicit S. Prosper, idè hominem juvari, quia voluit, non idè, quia adjuvatur, velle: Vel ut loquitur Hilarius, qualescumque initium voluntatis esse a nobis. Cum itaque hæc, non obstante concursu simultaneo, videntur sequi ex modo dicendi adversariorum non videntur satis recedere ab errore semi-Pelagianorum.

Ad 2. R. longioris esse discussionis, quam remittimus ad Tract. de Gratia. Interim breviter dico 1. semi-Pelagianos saltem aliquos admisisse aliquas gratias morales prævenientes etiam interiores. Docebant enim, teste Hilario in Epist. ad Aug. omnes etiam indignos vocari; certum est autem, non omnes vocari vocatione, seu prædicatione exteriori: ergo interiores. 2. Non erat ratio, cur rejicerent gratias morales prævenientes; etiam interiores; cum enim ille subjaceat determinationi, & potestati voluntatis, his non obstantibus, stat capitale eorum dogma, initium scilicet salutis esse a nobis; facileque expeditur omnes difficultates, quas patiebantur ex sententia Aug. de fatali necessitate, de extinctione liberi arbitrii, orationis inutilitate, &c. 3. Dato, semi-Pelagianos non admisisse gratias morales prævenientes interiores, quas admittunt Molinista, istæ gratiæ morales movent dumtaxat voluntatem ad consensum obiectivè, & per ostensionem boni, illum autem non efficiunt, sed expectant ab ipsa libera voluntate, sicque non impediunt, quin homo componat cum Deo, partem sibi, partem Deo tribuat, & se priorem, Deum posteriorem faciat; consequenter per has gratias non sufficienter discernuntur a semi-Pelagianis.

Incassum hic opponeretur contra priores solutiones hæc 4. Jansenii propositio damnata: Semi-Pelagianis admittunt prævenientes gratias interiores necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Hoc ipso enim, quòd agnoscimus, aliquos tantum semi-Pelagianos gratiam moralem prævenientem interiorem ad initium fidei admisisse, stat hæc propositionem etiam quòd primam partem esse falsam; quia, cum sit indefinita, æquivaleret universali. Insuper ad falsitatem totius hypotheticæ copulativæ, qualis est hæc, sufficit unam partem esse falsam, ut revera est 2. pars. Plura de hoc alibi.